



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 9. De tempore prosequendæ appellationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

Negue obstat *c. Ab eo. de appell. in 6. & Clem.* Quamvis eod. in quibus à die appellationis petendos apostolos esse intinuat, quia præsumitur unumquemque cogita damnationis sententiam in continenti appellare saltem viva voce, cum præsens est, vel per scriptum, quando non impeditur.

Fieri etiam potest, ut Iudex à quo breviorum terminum petendi apostolos præscribat, qui observandus erit. Nam licet prolongare 30. dierum spatium non possit, ut verior opinio vult, breviorum tamen præfixere nihil vetat. Et quia terminus sit præfixus succedit in locum termini à iure designati, eundem effectum parit, ut si neglectus fuerit, deserta censetur esse appellatio. *c. Ex insinuatione; o. hoc tit. Bald. in Practica pag. 104 n. 43. Pr. Ferrar. in for. appell. lo. cit. Wurmser. li. 1. tit. 24. obs. 2.*

IV. Sufficit quidem intra terminum sive à iure, sive ab homine constitutum, etiam ultima die Apostolos petere melius tamen, & consultius est in continenti, & simul cum appellatione petere. Nam si à definitiva sententia appellatum sit, Iudex à quo petitis Apostolis non potest ulterius procedere, nisi prius refutatorios dederit, quamvis appellatio frivola esset. Si autem petiti non fuerint apostoli, & frivola appellatio est, ulterius procedere potest.

Limita, nisi interpositum sit compromissum. Tunc enim tempus in suspensio stat, donec arbitrium fuerit fixatum.

V. An par sit necessitas in appellatione extrajudiciali apostolos petendi à nonnullis merito dubitatur? Equidem non esse necessitatem, quando non à Iudice appellatur, sed à parte, facile concessero. Quis enim daret? At quando à Iudice extrajudicialiter procedente appellatur, omnino petendi sunt, quia dandi illos necessitate Iudex constringitur. Quin etiam in priori casu petere tutius est, conditionaliter saltem, si quisquam est, qui dare eos possit. *Glo. in r. ut super hoc tit. Maranta Par. 6. Act. 2. num. 216. Scaccia q. 13. ar. 2. num. 32. Vallens. de appell. §. 10. Phil. Francus in c. Bo. nem. hoc tit. Wurmser. l. 2. tit. 19. obs. 2. Corvinus in Aphorism. h. t. Treutler. Volum. 15. Disp. 33. num. 8.*

§. 9.

De tempore prosequenda appellationis.

I. Interponenda appellationis tempus ex communi sententia diximus esse decendium; introducenda vero apud Iudicem appellationis non est certum, & commune omnibus in iure constitutum, sed à Iudice à quo, determinandum est. Verumque autem continuum, & accurate servandum est. Iam tempus prosequenda appellationis coram Iudice ad quem, pro primo fatali annus est; Impedito conceditur biennium, idque secundum fatale appellatur. *Auth. Ei qui. C. de temp. appellat. c. Ex ratione. hoc tit. Clement.*

ment. Sicut eod. ubi dicitur hoc pro-
cedere in appellatione tam iudicali,
quam extraiudicali. Quod si in se-
cundo fatali quoque impeditus fuerit,
tertius annus concedi potest, ex iustis-
sima causa, & impedimento, ut in
c. 6. Ex ratione Cardin. & Speculator
notat. §. Nunc breviter. Versu Premissa.
Qui dicitur intelligendum, si toto anno
fuerit impeditus, alias tantum tem-
poris habebit, quanto impedimentum
duravit. Neque enim ipso iure tertius
annus datur, sed per viam restituo-
nis in integrum. Innoc. abb. & DD. in
c. 6. Ex ratione. Guido Papa. num. 66.
V. senec. l. 49. ff. tit. 4. Schneiderv. l.
2. Inst. tit. 17. §. sed etsi quis n. 8.

II. Prædictum tempus non currit
de momento ad momentum, quemad-
modum currere decendum supra dixi-
mus, quia dies appellationis non confi-
deratur. Glo. in clement. sicut hoc tit.
nec durante compromisso cursum ha-
bet. Clem. Quamdiu eod. tit. Auth. sita-
men. C. de tempor. appellat. Quin et-
iam iudici permissum est, ut brevius
tempus ad introducendam, & prose-
quendam appellationem præscribat. &
Cum sit Romana hoc tit. ita ut si tem-
pus illud non observarit appellans de-
serta appellatio censeatur, ac senten-
tiæ iudicis à quo, parere teneatur. c.
Personas 4. hoc tit. Nam terminus à
Iudice præfixus succedit in locum eius
qui à iure constitutus est. Glo. in di.
Clem. sicut. Innoc. in c. Ex ratione. & c.
Personas. Panorm. in c. Cum sit Roma-
na. n. 4. Gaill. l. 1. obs. 104. num. 2. Card.
Tuscius Concl. 379, & seq. Virianus in c. Ad
aures h. t.

Poterit etiam Iudex post terminum
à se constitutum, & neglectum, exe-
cutioni mandare sententiam suam, non
expectato lapsu termini iuris. c. cit.
Personas ibi ex tunc iudicio tuo stare com-
pellas. Item ex tunc sententia tua parere
constringas. Nam dictio: ex tunc extra-
neum temporis momentum signifi-
cat. l. 4. §. ul. ff. de condit. & de-
monstr. l. In substitutione ff. de vulg. & pupill.
substit. Virianus hoc tit. in c. constitutus
Laym. l. 3. Tract. 6. c. 6. num. 7.

III. Idem Iudicii ad quem non
permittitur, ut nimirum appellanti
terminum prosequendi appellationem
constituar, ne suam causam, & utili-
tatem procurare videatur, abbrevian-
do tempus legibus determinatum. Ni-
si forte ex nimia dilatione periculum
immineret, ut in causis Spiritualibus
electionum, postulationum, & aliis
beneficialibus, quæ quia causam ali-
quo modo publicam continent, acce-
lerare expedit, quemadmodum ma-
trimoniales quoque propter pericu-
lum incestus, & adulterii. c. Quoni-
am frequenter. §. 1. V. lite non contestata.
Item in causa alimentorum propter pe-
riculum vitæ. l. Necare. ff. de agnoscend.
liberis. Clement. Sicut. de appell. Cardin.
Tuscius Concl. 383. Abb. in c. Ex ratione
de appellat. Guido Papa Decis. 436.
Q. 39.

IV. Causæ biennii concedendæ
pro appellatione prosequenda multæ
sunt.

Primæ, ex parte appellantis est pau-
pertas, vel infirmitas.

Secundæ ex parte appellati, necessa-
ria inhibitiō, quia vel frustratoris di-
latio.

lationibus utitur, vel aliis mediis impedit appellan-tem. Cum enim in hoc casu nulla sit culpa appellantis, æquum est ut tempus illi proregetur ad complendam intentionem suam.

Tertia ex parte utriusque, ut si compromittant in arbitros, vel peregrinationem aliquam communi voto suscipiant.

Quarta ex parte Iudicis, qui à tribunali abest, morbo aliove negotio intricatus, nec alium suo loco possit substituire.

Quinta ex parte alicuius tertii, qui intervenit propter suum interesse, vel etiam ipsius procuratoris.

Sexta denique in Casu, & Fortuna est, quæ cum in nostra potestate non sint, imputari ad culpam, & damnum non debent. Quamobrem aliquando tertius quoque annus, ut *num. 1.* diximus, adicitur, cum gravis causa & necessitas exigit.

Addit *Gall. l. 1. obs. 141. n. 4.* etiam partium consensu prorogari posse tempus, seu fatalia prosequendæ appellationis. *Clem. Quamdiu iun. Glo.*

In Camera Imperiali quoque nec eiusmodi fatalia appellationis prosequendæ, nec fatalia primæ instantiæ, puta triennii in causis simplicis querelæ currere: ita ut *lex Properandum. C. de iudic. & Auth. Et qui C. de appellat.* in Camera nullum locum habeant, idque propter multitudinem causarum. Tempora verò interponendæ, & introducendæ appellationis diligenter attendi. Si tamen eiusmodi tempora prosequendæ appellationis coram

inferioribus iudicibus servata non sine appellatio in Camera tanquam deserta non recipitur. *Auth. Et qui. C. de appell. Ita Gall. cui assonat Mynsing. Cen. 3. obs. 54.*

§. 10.

De Effectu Appellationis.

I. Effectus appellationis duplex est, sententiam definitivam devolvere, aut suspendere. Devolvit avocando causam in manus superioris Iudicis suspendit non auferendo iurisdictionem, sed sententiam & executionem impediendo. *c. Sape 44. hoc tit. c. si à Iudice eod. tit. in 6.*

Neque enim interim mundati executioni potest: & permittitur utrique parti apud Iudicem appellationis ea probare, quæ ante probata non fuerunt, & producere, quæ ante producta non fuerunt. *c. Cum Ioannes 10. de fide instrum. c. fraternitatis, de testibus,* modò principali causæ serviant, & iudicium retrò actum impugnent. Nam dilationes, denegatæ condemnationes expensarum, & id genus alia hic minimè reperenda sunt. *c. fin. hoc tit. l. Ita demum. c. 3. C. de procur. & ibid. Bart.*

Hinc consequitur alius effectus nihilo minor, quod pendente decennio, & appellationis iudicio nihil innovandum est in causa, sed in eo statu cuncta relinquenda, in quo erant tempore introducendæ, vel introductæ appellationis. *l. un. ff. Nihil innovari appell.*